

dium modium tritici, medium modium avenae et quatuor hallenses, Henschil Winkeler de uno manso modium tritici, duos modios siliginis, modium avenae et octo hallenses dat et solvit. Et quia resignatione dictorum bonorum, quae a nobis et ab ecclesia nostra Misnensi per dictum Nycolaum tenebantur in feudum — facta praefatus Syfridus nobis humiliter supplicavit, ut dictos mansos et bona praemissa — dilectis . . praeposito, . . decano et capitulo ecclesiae nostrae Missnensis dare — dignaremur, nos ipsius precibus favorabiliter inclinati, dictam emptionem et venditionem ratam — habentes dictos quatuor mansos, censum et bona praedicta cum areis domibus hortis et aliis attinentiis praemissis dominis . . praeposito, . . decano et capitulo ac ipsorum successoribus damus, donamus in proprium — ita quod idem dominus Syfridus ad vitae suae tempora obventiones et pensionem praedictas per se solum et in solidum percipiet et levabit. Ipso vero de hoc medio domino volente evocato collector et administrator reddituum capitularium redditus et proventus praedictos tollet et percipiet et in anniversario dicti domini Syffridi duos solidos grossorum latorum canonicis emancipatis, integratis et vocem in capitulo habentibus et duodecim grossos vicariis perpetuis et temporalibus praefatae ecclesiae nostrae Misnensis in vigilia et in missa praesentibus, annis singulis perpetuis temporibus ministrabit. Ut autem praedicta nostra donatio — permaneat futurum in aevum perpetuo inconcussa, praesens privilegium desuper conscribi et sigillorum nostri et capituli nostri memorati appensione fecimus communiri. Actum et datum Misnae anno domini M^o.CCC^o.LXVI^o. IX. Kal. Junii, praesentibus honorabilibus et strenuis viris dominis Lutoldo de Stüternheim, Michahele de Dresden, Henrico de Wistrop cappellanis nostris, necnon Nycolao dicto Kuchinmeister, Henrico de Türgowe militibus, Theoderico de Rechinberg et Johanne Monetarii de Dresden testibus et quam pluribus aliis fide dignis.

Et nos Albertus Knut praepositus, Theodericus de Goch decanus totumque dictae Misnensis ecclesiae capitulum recognoscimus, quod appropriationi — ac omnibus et singulis supradictis nostrum adhibuimus consensum — appendentes — sigillum nostri capituli in evidentiam huiusmodi nostri consensus pleniorum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 562. 1366. 1. Juni.

B. Johann eignet dem Capitel von demselben in Binnewitz erkaufte Zinsen zu Begehung des Jahresgedächtnisses des Domherrn Dr. Nicolaus Ebirhardi.

In nomine domini amen. Nos Johannes dei gratia episcopus Missnensis praesentibus publice recognoscimus — quod dilecti in Christo nobis Albertus praepositus, Theodericus decanus totumque capitulum ecclesiae nostrae Missnensis iusto interveniente venditionis et emptionis titulo apud strenuum militem Johannem de Milticz vasallum nostrum XIII solidos latorum grossorum census annui cum oblagiis in terminis subscriptis per censuarios infra scriptos et eorum successores dandos et solvendos de bonis inferius annotatis et prout inferius describetur distribuendos et cum iure seu iudicio hereditario comparaverunt pro LVI sexagenis grossorum praedictorum, eidem militi in parato pagatorum et solutorum, prout coram nobis libere et sponte